

**De rhythmo nervorum : dissertatio inauguralis medico-physiologica ... /  
auctor Ottomarus Wagner.**

**Contributors**

Wagner, Ottomar.  
Friedrich-Wilhelms-Universität Berlin.  
Royal College of Surgeons of England

**Publication/Creation**

Berolini : Typ. Nietackianis, 1844.

**Persistent URL**

<https://wellcomecollection.org/works/awse94q6>

**Provider**

Royal College of Surgeons

**License and attribution**

This material has been provided by This material has been provided by The Royal College of Surgeons of England. The original may be consulted at The Royal College of Surgeons of England. where the originals may be consulted. This work has been identified as being free of known restrictions under copyright law, including all related and neighbouring rights and is being made available under the Creative Commons, Public Domain Mark.

You can copy, modify, distribute and perform the work, even for commercial purposes, without asking permission.



Wellcome Collection  
183 Euston Road  
London NW1 2BE UK  
T +44 (0)20 7611 8722  
E [library@wellcomecollection.org](mailto:library@wellcomecollection.org)  
<https://wellcomecollection.org>

DE  
**RHYTHMO NERVORUM.**

---

**DISSERTATIO**

INAUGURALIS MEDICO - PHYSIOLOGICA

QUAM

CONSENSU ET AUCTORITATE

**GRATIOSI MEDICORUM ORDINIS**

IN

ALMA LITTERARUM UNIVERSITATE

**FRIDERICA GUILIELMA**

UT SUMMI

**IN MEDICINA ET CHIRURGIA HONORES**

RITE SIBI CONCEDANTUR

DIE XXII. M. MARTII A. MDCCCXLIV.

H. L. Q. S.

**PUBLICICE DEFENDET**

AUCTOR

**OTTOMARUS WAGNER**

BORUSSUS - RHENANUS.

---

**OPPONENTIBUS:**

O. GALLUS, med. et chir. Dr.

ST. LAGARDE, med. et chir. Dr.

C. MAMPE, med. et chir. Cand.

---

BEROLINI,

TYPIS NIETACKIANIS.



RYTHMO NERVORUM.

DISSERTATIO

EXAMINATA A SENATU UNIVERSITATIS

WURTEMBERGENSIS

CONSENSU ET AUCTORITATE

ORDINIS MEDICORUM

IN

THEMATICA

FRIDERICA GUILLIELMA

UNIVERSITATE

MEDICINA ET CHIRURGIA HONORES

RECEPIT

DIE XXII. M. MDCCLXXII.

IN C. G. S.

PUBLICE DEFENDIT

AUCTOR

OTTOBARNES WAGNER

PHYSICUS

OSTENSITUR:

C. GALLI, med. & chir. Dr.

ST. LACARDE, med. & chir. Dr.

C. MAYER, med. & chir. Cand.

BEROLINI

TYPE NITSCHE



**VIR O**

**ORNATISSIMO, HUMANISSIMO**

**GODOFREDO GALLUS,**

**REGIS A CONSILIIS JUSTITIAE ETC.**

HASCE

QUALES CUNQUE PAGELLAS

PIO GRATOQUE ANIMO

D. D. D.

AUCTORI



Universae rerum naturae quoniam hoc divinitus datum  
st, ut vitam, ejus vi et actione ipsa continetur, nun-  
quam intermissa motione gignat continuam, consentaneum  
st posse nihil vivere, quod non sit illius actionis, qua  
vita continetur, particeps. Quemadmodum autem omni-  
bus corporibus hoc natura insitum atque ingeneratum est,  
ut nulla interposita mora se moveant, eoque ipso studio  
contenta, quamvis nihil inde proficiant, vires suas exer-  
ceant: ita vicissim, decrescente paulatim vigore vitali,  
quietem ad novas vires acquirendas desiderant. Retar-  
data igitur vitae actione, vita ipsa non intermissa, nova  
suboriuntur vitae incrementa. Ipsae autem vitae actionis  
vicissitudines quasi lege quadam continentur rhythmo,  
ejus vi reciproca quum universa moveatur et conser-  
vetur rerum natura, tum reguntur corpora singula, quae  
quidem sunt organis ad vivendum instructa. — Et coe-  
lestia quidem corpora dum cursum suum praestitutum  
conficiunt, mutuo eoque certo ad se accessu aut digressu



suas ipsorum inter se vires reficiunt; eadem, quia modo celerius id, modo tardius faciunt, illum ipsum, qui esset in universa rerum natura, rhythmum sequi apparet. Jam anni tempora, quae tota ad coelestium corporum cursum diriguntur, quem ipsa habent rhythmum, eundem in terrae corpora transferunt. Ut enim vere omnes terrae vires excitatae ac solutae nova fundunt rerum semina aestate alunt et augent, ad maturitatem perducunt autumno: ita hieme, dum viribus quasi exhaustis defatigata quiescit, nova in sinu suo ac gremio Tellus parit rerum incrementa. Quod in majore illo anni circuitu, idem in terrae conversione observatur. Noctem, quae somno omnia et quiete consopit, dies excipit, quo discusso languore corporum gignendi vis quasi expergiscitur; quae quidem diei noctisque vicissitudo animantes conservat tribuens aliud agendi tempus, aliud quiescendi.

Age vero, ut a coelestibus rebus ad terrestres veniamus, quid est in his, in quo non naturae ratio rhythmica appareat? Quid dicam aestus maritimos certa lege accedentes et recedentes? quid acum magneticam, quae undulationem, quae est inter partes terrae orienti et occidenti soli subjectas, certis temporum servat intervallis? quid barometrum, quod quomodo hydrargyrum pro dierum annique varietate aut sublimetur aut deorsum demittatur indicat? Jam vero aër ipse, quum certos suos habeat accessus et recessus, ejus quae dicitur electricitas augetur tempore aut deminuitur. Fontes denique calidi et frigidi ad quendam quasi nu-



nerum rhythmica actione subsilientes e terra prorumpunt \*).

Duplex haec agendi ratio quum in universa reperitur rerum natura, tum etiam in vivis cernitur corporibus, quorum quae habent perfectiora ad vivendum instrumenta, ea duplici trahuntur vi et quasi lege reguntur, altera illa universae rerum naturae, altera vitae ipsis innatae propria. Ut autem a simpliciorum corporum vita ordiamur, est quidam etiam in plantarum incrementis et decrementis rhythmus, alius ille quidem aliis anni aut diei temporibus. Nam ut vere et aestate crescunt, marcescunt autem hieme: sic diurno tempore succi motione florescentes fructusque maturantes vigent plantae vegetae, nocte ab opere cessant; quaedam etiam, quae interdum flores aperuerant, illos nocte claudunt. Ita quum vel vegetativae vitae actioni quendam rhythmum subesse cognoscamus, tum vero eundem in animalium hominumque corporibus etiam magis observamus. — Rhythmus autem hominum qualis sit bona valetudine, quum infra pluribus simus persecuturi, quumque eadem plerumque sit in animali et in homine rhythmici et causa et effectus, visum est pauca praefari de rhythmicis animalium actionibus. Coitum cum compari animal, ne libidine absumatur intempestiva aut immodica, suam opperitur horam genitalem, quae si adest certo anni tempore, incertum

---

\*) Observatum est illud in his potissimum fontibus calidis: in Islandia in Geisero, in balneis Carolinis aliisque Germaniae fontibus.



qua vi instinctum, ruit in Venerem; exacto illo tempore, remisso furore, friget ac relanguescit. Jam quod avium complura genera, certis anni temporibus quodam naturae impetu acta, ex consuetis locis in regiones alias demigrant, alia vero animalia languore oppressa, somno, quem dicunt, hiberno consopiantur, ea re videtur satis comprobari animalium quoque vitam in continua versari rhythmicæ actionis vicissitudine. Quam quidem rem multis persequi et longum est et ab hujus scriptionis proposito alienum.

## RHYTHMUS NERVORUM HUMANI CORPORIS SANI.

Organismus humanus quum sit pars universae rerum naturæ, hujus ipsius leges sequatur necesse est; idem quia per se ipse constat suamque agit vitam ab aliorum corporum vita sejunctam fieri non potest, quin suas sibi statuatur, quas in omni actione observet regulas. Ita dum duplici vita hominis continetur vi vitali, altera alteri saepe repugnante, efficitur quidam totius humanæ actionis rhythmus, quo vita ipsa inter continuam incrementorum et decrementorum vicissitudinem conservatur. Ejus autem rhythmus, cujus in plantis causam nondum habemus satis cognitam, præcipuus in animalibus impulsus in nervorum systemate continetur. Homo vero, cujus vita permultis iisque diversis efficitur actionibus, duos processus habet inter se diversos, alterum vitæ vegetativæ, animalis vitæ alterum. In utrumque vim



maximam rhythmus exercet. Quodsi primum ad vegeta-  
 vam hominis vitam animum advertimus, apparet actio  
 rhythmica in spirandi et respirandi vicissitudine, quae et  
 annua est, maxima illa quidem hieme, et diurna, cujus  
 acme dicitur acme (fastigium summum) ab hora est de-  
 ma matutina usque ad alteram pomeridianam. Accedit,  
 quod in systemate vasorum per systolen et diastolen  
 motus cordis, et per ictum pulsus pro varia cordis con-  
 tractione varius movetur, undulatione insuper et quoti-  
 diana, venarum pulsu matutino tempore retardato, con-  
 tatiore vespertino, et annua, cujus acme vere est.  
 Nec minus cerebrum suam habet systolen et diastolen,  
 quam perperam viri docti ex respiratione pendere vo-  
 unt. Jam intestina quoque rhythmico moventur  
 peristaltico, et habet digestio typum quum sextae  
 huiusque horae quotidianum, tum annum. Neque aut  
 vesica urinaria ad expellendam movetur urinam, nisi  
 actione rhythmica, aut per anum evacuantur faeces, nisi  
 soliente quodam rhythmico. Nutritio autem rhythmum  
 habet quotidianum, menstrualementem et annum, secretio  
 utis quotidianum matutinum, tum quinque dierum,  
 menstrualementem et annum. Systema denique nervo-  
 rum periodos habet quotidianas et annuas. Ut autem  
 quas modo percensuimus corporis functiones, eae singu-  
 lae suum habent rhythmum: ita universus hominum  
 organismus actione quadam rhythmica mutatur. Quae  
 quidem mutatio ab anni pendens temporibus ad tuendam  
 hominum vitam maxime est necessaria. Omnis igitur



evolutio et longioribus quibusdam continetur periodis annuis et brevioribus diurnis. Quemadmodum enim singulorum dierum spatio quodam quasi orbe repetitur corporis humani actio, ita ut mane relectae somno vires ad meridiem usque continua eaque concitatiores actiones exerceantur, tum remittente subinde vigore ad vespere languescant, nocte consopitae obdormiscant: ita ineunte vere, quo nova ubique rerum semina succrescunt et germinant, recenti humanum corpus perfusum vigore vitali acquisitas hiberna quiete vires agendo usque ad aestatem confirmat et adauget; tum suppressa alacritate tardius movetur, donec ingruente hieme aliquantisper consistit seque ipsum colligit quiescendo.

Neque solum universa hominum vita rhythmica actione movetur, sed est quaedam etiam in singulis organis undulatio, varia illa quidem pro variis dierum annorumque vicissitudinibus.

Omnis autem, de quo hactenus exposuimus, in humanae vitae actione rhythmus aut a solis vi pendet, aut a lunae modo crescentis, modo deficientis mutationibus. Lunaris ille sexus muliebris fluxus, quem a menstruali accessu appellamus menstruationem, dum gravissimas organismi perturbationes exaequat, plurimorum, ad quos ille sexus proclivis est, morborum causas removet; itaque morbi species fit causa salutis. Alius sanguinis fluxus apud viros observatur in haemorrhoides, cujus molimina pariter per rhythmum accedunt. Neque pollutiones viriles, quas propius ab men-



truationis similitudine abesse dixerim, expertes sunt hythmi. Semen enim genitale postquam in suis vasculis, praecipue in orchidum vasis, rhythmica actione paratum est, receptum ab organis spermaticis retinetur, donec aut coitu movetur, aut cessante libidine, ne frustra paratum languore torpeat, sua sponte prorumpit; quae quidem voluntaria seminis ejaculatio non minus quadam rhythmica actione provocatur.

Magnae porro in corpore humano mutationes hythmicae antagonismo excitantur nervi sympathici et cerebri. Quum enim in gravioribus animi contentionibus magni abdominis plexus quiescant, cerebrum autem in digestionem, ex qua nutritio pendet, intendere nequeat, fieri non potest, quin homines aut litterarum studiis abdit, aut tenui ac pingui ingenio praediti, saepe vel corpore vel animo aegrotent; ubi vero ventriculus et plurima ventriculi organa laborent, oppressa cerebri actione, homo iners langueat, nec ad cogitandum aut ad animi vires intendendas sit promptus. Quare, ne in gravioribus organismus humanus destruat aut conficiatur perturbationibus, illa nervorum centra ita sibi sunt opposita, ut, alternante rhythmica actione, quietis et actionis vicissitudine vires suas retineant integras.

Ita transitus paratur ad eum rhythmum, qui in animorum actione humanorum perspicitur. Quae per universam rerum naturam sparsa mens est sempiterna et immortalis, qua omnia explentur et continentur, ea quum nihil aliud sit quam quaedam constans actio, humano



animo ex illa delibato hoc quidem natura insitum est ut velit nulla mora interposita et quasi uno tenore illius actionis esse particeps; idem vero, quoniam corporis esse praepeditus involucro, certis tantum intervallis et quasi per rhythmum vim suam potest exercere. Jam si actionis remissionisque modus est aequabilis, ad novas perpetuo animus actiones excitatur. Quod quidem quum in omni perspiciatur animi actione, tum vero nusquam apparet luculentius quam in somno. Is enim ubi animo obrepsit, hic remissa sua cogitandi et agendi vi, totum se aeternae illi per universam rerum naturam sparsae actioni permittit, quae dum quasi semimortuum animum suscipit ac fovet, novam ille per quietem agendi vim acquirit. Jam vero, ut nimio animus otio consopitus viribus deficitur, ita actione immodica conficitur. Quae quidem vitae lex quum certis quibusdam rhythmicis intervallis vim suam exerceat, fieri non potest, quin graves animi contentiones aut acutiorem ac subtiliorem cogitationem excipiat quaedam concitatarum virium remissio, quae si adest, languescente subinde animo, corpus etiam, quod illius legibus adstrictum tenetur, defatigatum se tradit quieti, donec excusso somno, novo per membra perfuso vigore et alacritate, acriore se agendi studio impletum sentiat. Jam qui rhythmus in animi actionibus unius diei observatur, idem vim suam per totam vitam obtinet. Nam in infantia mobiles sunt in vegeto corpore et ad agendum alacres animi vires; juventute auctae et corroboratae in confirmato corpore robur



quam possunt maximum acquirunt; languescunt deinde et procedente senectute in corpore exhausto ac decrepito efficiunt, donec dissolutae per proprios motus mortalis vitae repagula refringunt. Accedit quod aut luctu affectae nimio, aut immodica perfusae laetitia vires animi languuntur, ni, remittente aliquantis per perturbationum impetu, pristinam aequabilitatem et integritatem recipiunt.—

### RHYTHMUS NERVORUM CORPORIS AEGROTI.

Actio nervorum rhythmica, sine qua vitam vigere non posse supra demonstravimus, quum ubique perspicitur in corpore sano, tum vero, quia aeger organismus inapte natura ad semet ipsum fertur conservandum, iam clarius elucet in morbis. Morbus enim quum sit vitae, quae a regula normali aberravit, forma perversa, alias igitur corpus aegrotans sequatur leges, alteram illam naturae communem, morbi singularis propriam alteram: inde consequitur, ut duplex adsit in morbis actio rhythmica, quum princeps illa normalis, tum altera ea, quae ex ipso morbi typo proficiscitur. Genus posterius quia non aequae accurate ac prius illud in singulis morbis perspicitur, haud pauci medici, non in omnibus rhythmum cerni posse morbis arbitrati, perperam morbos typicos et atypicos discernendos esse censuerunt. At hercule, quia difficilis est rhythmus in quibusdam morbis ad discernendum, propterea eum in illis prorsus abesse argumentari non licet. Doctissimus enim ille Baumgarten - Crusius in libro »de morborum periodis« et



Testa in opere, quod inscripsit »Bemerkungen über die periodischen Veränderungen im kranken und gesunden Zustande des menschlichen Körpers,« neque minus Fr. Casim. Medicus in libro inscripto »Geschichte periodischer Krankheiten,« singulos, in quibus rhythmus cernatur, morbos colligentes, nullum, in quo illa notio non reperiatur, investigarunt. — Est autem rhythmus sive typus morborum constans ille ordo, qui in morbis rhythmica actione vario modo immutatis, in singulis eorum periodis, imprimis in quietis et actionis vicissitudinibus, in symptomatum denique modo incrementis, modo decrementis perspicitur. Duplex igitur in morborum decursu rhythmus apparet, typus incrementi et decrementi in evolutione et in involutione morbi et rhythmus singulorum symptomatum. Neque enim morbus uno quasi tenore aut ab accessu usque ad fastigium suum (acmen) crescit, aut ab illo ad recuperatam sanitatem deminuitur; sed in stadio incrementi crescit nunc symptomata augens, nunc ea minuens, imminuitur vero in stadio decrementi, modo remittens, modo exacerbatus. Quem autem antea diximus cum illo ritmo conjunctum esse morbi typum, ejus si genera varia inter se componere volueris, in duas illa videbis posse dividi partes, in typum quidem morborum regularem et irregularem. Regularis typi praecipua haec sunt genera:

1) Typus septennis. Quemadmodum in corpore sano exacto septem annorum periodo tanta fieri



let omnis vitae processus mutatio, ut qui septenario numero dividi possunt anni, ii et habeantur vulgo et ut periculosissimi: ita, quae est morborum ratio, summam illi ipsi anni in corpora aegrotantia vim exercent. His enim temporibus aut nova in corpore subnascuntur morborum semina, aut renitente vi vitali suppressa extinguuntur. Ut exemplum ponam, morbus scrophulosus, cujus frequentissimus est in infantia et in pueritia processus, anno septimo aut decimo quarto, quo tempore majorem digestio et assimilatio in corpus vim exercent, quod raro, nullis externis impedimentis perturbatus sanatur. Pari modo anno septimo, quo tempore omnia organismi ossa et nutriuntur facilius et fortius evolvuntur, verumque rhachitis quem exitum habitura sit dijudicatur. Phthisis contra vitae anno septimo aut decimo quarto, aut vicesimo demum corporibus obrepere incipit.

2) Typus annuus. Rhythmica temporis actio ut sum efficit anni circuitum periodis eodem rhythmico recurrentibus divisum: sic morbi chronici pro temporum anniutationibus aut remittunt aut augescunt rhythmice. Et morbus quidem scrophulosus auctis symptomatibus crescit et celeriore decursu ad exitum deducitur vere et autumno, humidis illis anni temporibus; aestate idem et tempore deminuitur et saepe sanatur. Arthritis autem et haemorrhoids acius urgent et paroxysmum habent tempore brumae et solstitii. Catarrhi porro chronici acutiores fiunt frigido coelo et humido; iidem aestate ita



remittunt, ut sint fere symptomate vacui. Alienum est eos hoc loco referre morbos, qui, ut febres intermittentes, inflammationes, haemorrhagiae, status gastrici, dysenteriae, ipsis anni temporibus rhythmica actione et provocantur et redeunt.

3) Typus menstrualis. Quem in corporis sanis vegetativa potissimum parte deprehendimus rhythmum menstrualementem, idem etiam clarius in his morbis elucet, quorum sedes praecipua pars organismi vegetativa est. Nam et in omnibus menstruationis perturbationibus rhythmus observatur menstrualis, et systematis gangliosi morbi, hysteriasis, helminthiasis, imprimis haemorrhoides, metrorrhagiae, abortus, ita sequuntur lunae vicissitudines, ut quando illa plena luce et integra micat, nova capiant incrementa, ubi vero decrescit et ad partem quartam defecit, subinde remittant.

4) Typus septem dierum. Is in inflammationibus potissimum et in febribus perspicitur. Multae enim affectiones inflammatoriae die septimo aut in bonam aut in malam partem dijudicantur. Ut exemplum ponam, in pneumonia pulmo inflammatus die septimo resolvitur; in intermittentibus autem febribus tantum dies septimus momenti est, ut is ipse, quo illae febres saepe aut decedunt aut redeunt, appelletur dies criticus. Nec minus septem dierum circuitus, quum maximam in formationes corporis humani vim exerceat, in omnibus nutritionis morbis cernitur, ut in morbis



systematis vasculosi, membranarum mucosarum, affectionum catarrhalium, haemorrhagarum, morbi comitialis, exanthematum acutorum.

5) Typus quartanus quum in febribus intermittibus et in quartana, quae quarto quoque die exacerbatur, observetur, tum in aliis perspicitur vegetationis systematis gangliorum morbis, ut in epilepsia, haemorrhagiis, apoplexia, aliis multis, quos enumerare longum est.

6) Typus tertianus. Eum et intermittentes saepe vires habent, et quotidianae atque continuae, in quibus aequalium dierum tentationes (paroxysmi) sibi respondent. Idem typus quum vim maximam habeat in vitam vegetativam, praecipue in vasculosam, ea autem ipsa systemata vere ad summum perveniant florescentiae gradum, in morbis deprehenditur vernis; rarius observatur in inflammationibus, meningitide, pneumonia, hepatitis, aliis morbis eo potissimum tempore, quo constitutio epidemica, aut iis in locis, quibus endemica illorum malorum intermittentium constitutio vim suam in eos morbos exercet.

7) Typus quotidianus est ille quidem et in sano corpore et in morbis ubique obvius, sed quoniam corporis humani functiones, quia aliorum organorum actio alio tempore viget, non eodem tempore incrementa maxima capiunt: inde consequitur, ut tum potissimum illorum organorum morbi ingravescant, quando maxima haec



actione moventur. Jam quibus morbis systema vasculosum afficitur, ii tempore vespertino augescunt, quo vel sanorum corporum vita vasculosa aucta, pulsus irritatus est. Quare omnes morbi inflammatorii ingravescent tempore vespertino, matutino remittunt; unde fit, ut in oculi inflammationibus atque in ophthalmiis vespere cum rubore dolor crescat, calor et lucis formido (photophobia) augeantur. Nutritio porro quum a vasculoso systemate pendeat, morbi nutritionis, velut incubus, somnambulismus, helminthiasis, colica, diarrhoea, cholera, arthritis, scorbutus, syphilis, haemorrhagiae, tempore vespertino, nocte, post mediam noctem aucta habent symptomata. Etiam phthisici, qui alienata laborant nutritione, quotidie ad vespere corripuntur febris lenta et in colliquationem solvuntur sudores. Jam et exanthemata nocte prorumpunt, qua omnino plurimi homines varia morte absuntur.

Praeter eos, quos modo percensui, viri artis medicae et doctrina et usu excellentes multos alios reperiri partim ajunt, partim negant morborum typos. Ita ut exemplum ponam, in discrimen saepe et controversiam vocatur typus ille duodecim, quatuor, trium horarum et unius horae. Atqui quia saepe sane morborum impetus aut horis singulis aut ternis, aut quaternis redeunt, si idcirco illum typum putare volueris normale quot morbos, tot deprehendes singulos typos. Alia ratio est corporis sani, in quo qui cognoscere volet qualis s



pus, eum jubemus quae supra de rhythmo corporis  
ani disputata sunt, retractare.

Regulari (normali) typo certis temporum interval-  
s revertenti, cujus rationem viri docti satis habent ex-  
loratam, oppositus irregularis (enormis) est, ad quem  
xplicandum parum studii ad id tempus est collatum. Is  
pus quum in his potissimum perspiciatur morbis, qui  
ec a coelo nec a terra pendent, sed sedem habent in  
ystemate nervorum, idem rarius fortuitis quibusdam  
ausis efficitur, quibus aut producuntur rhythmī remis-  
ones, aut contrahuntur. Haud raro tamen typum re-  
gularem transire in irregularem inde apparet, quod in  
pilepsia puellarum tentationes (paroxysmi) initio morbi-  
endent a menstruatione et certis temporibus redeunt,  
postea vero, ubi alias leges sequi coeperunt, typum ha-  
ent contra regulam. In febribus vero intermittentibus  
ntationes initio normales sunt, irregulares postea. Jam  
ud raro fit, ut, qui antea typum lege carentem secuti  
nt morbi, ii externarum rerum vi immutati typum ac-  
pian regularē; quemadmodum in Rombergii libro  
le nervorum morbis eorumque curatione legere me-  
ini cujusdam naucleri puerum morbo comitiali affectum,  
oties aestus maris accederet, novo esse morbi impetu  
orreptum. Multa autem neuralgiarum genera nervo-  
umque morbi plerique omnes praeter eos, in quos mor-  
is alius vim suam exercet, nullam observant legem cer-  
m, impetu modo longioribus intervallis, modo brevio-  
bus accedente. In aliis morbis, velut in inflammatione



medullae spinalis, in chorea, in paralysi acutiore, in crispatione musculorum tam parvis impetus intervallis aegros corripunt, ut videatur irritamentum morbi quadam reciproca actione continua affici. Secus ad ejusmodi morbos est illis confugiendum, qui typum unius, trium, quatuor temporis momentorum statuunt. Possum multos afferre morbos alios, qui tentationes habent normales, sed hos nunc missos faciens eo loco perillustrabo, quo de rhythmici causae exponetur. Caeterum morbos animi, quorum rhythmicam rationem suis quidem legibus, sed maximam partem occultis, adstrictam parum habemus exploratam, a corporis malis de industria sejunximus. Etsi enim fieri potest, ut pravarum opinionum conturbatio et ipsarum inter se repugnantium sanitate spoliet animum morbisque offundat, tamen pleraeque omnes animi perturbationes ex aegrotatione corporis nascuntur. Quos autem ad id tempus viri doctor morbos animi observarunt, eorum paucissimi tentationes habent periodicas, rhythmico ad Telluris aut coelestium corporum motus conformato, (quemadmodum haud pauci maniaci morbi impetus sustinent pro varia lunae aut anni temporis mutatione varios); in plerisque animi morbis aut sine lege fiunt tentationes, aut, si certis regrediuntur intervallis, leges sequuntur nervis ipsis innatas.—

#### DE RHYTHMI NERVORUM CAUSSIS.

Aggredientibus nobis alteram hujus disquisitionis partem ut gravissimam sic difficillimam, in ipsas omni-



eneris typorum ac rhythmorum causas inquirendum est. Quae quidem rhythmus certis temporibus redeuntis causae aut in ipso insunt organismo humano, aut in externarum rerum natura sunt positae. Quemadmodum autem supra vidimus iisdem aegrotis et sana corpora legi sempiternae illius naturalis vitae legibus: ita contentaneum est aegrotantis aequae ac sani corporis typum universam sequi vitae rationem. — Vita autem singulorum corporum quum nihil sit aliud quam universae naturalis actionis, sine qua vigere ipsa non queat, certa quaedam forma, inde sequitur, ut singulorum corporum aegrotorum typus ex universae naturae legibus sit rependendus. Quoniam autem supra demonstravimus praecipuam vitae legem hanc esse, ut omnis vitae processus sua ipsius debilitetur et extinguatur actione, nec possit nisi reciproca quadam actione conservari: ex eo facile apparet omnem vitae motum ad certum tantummodum gradum posse augeri, quem ubi consecutus sit, eundem remitti seque paulatim dare quieti, donec a vi reciproca rursus excitatus vires suas rhythmica actione recolligat. Eadem lege omnes tenentur omnium in sano et in aegrotis corpore rhythmicarum actionum mutationes. Fundamentum autem et causa omnis corporum organicorum vitae nervi sunt, quorum systema, quia praecipua est rhythmicarum actionum sedes, habet hoc cum rhythmico commune, ut, quemadmodum in motoriiis nervis perspicitur, actione moveatur alterna. Quare omnis actio eorum animalium, quibus systema nervorum est,



vicissitudine quietis et motionis continetur, nec possumus vim suam per se exercere voluntatis irritamenta, nisi ita struat rhythmus, ut actionem quies excipiat. Commprobatur haec sententia multis doctissimorum virorum experimentis, qui quoties nervis cerebri et medullae spinalis cujuslibet generis admovebant irritamenta, semper singulorum momentorum efficiebant contractiones, continuas nullas. Idem erat effectus, quoties irritamenta ad intestinum, ad ductum choledochum, ad ureteres, ad vesicam urinariam vel ad alia, quae a nervo sympathico nervos accipiunt, organa admovebantur, hoc quidem discrimine, ut illorum organorum contractiones non essent subitae aut singulorum momentorum (minutae), sed longiores quam solent esse in corpore sano; unde efficitur ut actio reciproca in irritamenta illorum nervorum sit diuturnior, quam ipsa sunt irritamenta. Eadem est ratio nervorum sensuum, velut nervi optici et acustici, quorum actio rhythmica quum ex eo cognoscatur, quod nocte quiescunt, moventur interdiu, tum vero confirmatur et quod omnes soni omnesque strepitus rhythmica quadam fiunt aëris undulatione, unda altera subinde alteram brevissimis intervallis excipiente et nervum acusticum feriente. — Quae quidem motionis intervalla quia non sentimus, sed uno tenore sonum audire nobis videmus ea re tantum abest, ut sententia modo prolata infringatur, ut etiam confirmetur cernendi experimento. Neque enim uno quasi tenore eam rem cernimus, in quam oculos defiximus, sed subinde; nec per radios spargitur lux



sed descendit per undas. In vulgus notum est, si aut ipsi corpora, quae spissa et frequentia adsunt, celeriter praetereamus, aut illa velociter praeter nos moveantur, singula nos inter ea ipsa intervalla non posse discernere, sed apparere omnia confusa et continua quadam serie inter se cohaerentia. In nervis autem sensuum quum sensus tamdiu retineatur, quamdiu admovetur irritamentum, hoc ipsum rhythmicum putandum est, intervallis tam exiguis, ut percipi sensibus nequeant. Sed etiam aliud rhythmici generis in his nervis deprehenditur, eo quidem perspicuum, quod dolor omnis, quamvis causa nondum sublata sit, rhythmica actione modo augetur, modo remittit. In omnibus igitur nervis quum rhythmus in agendo cernatur, morbus autem ipse nihil aliud sit quam vitae quae a lege normali aberraverit processus, multae inde explicari possunt actiones rhythmicae.

Alia vitae lex principalis, ex qua plurimae in omni processu vitali actiones rhythmicae repetendae sunt, antagonismus est corporis humani. Quoniam enim varia illa eaque saepe inter se diversa vitae in corpore humano instrumenta hoc unum spectant, ut et genus conservetur universum et corpora singula, sapienter ea instituta est totius organismi ratio, instrumenta alia ut sint opposita aliis, seque invicem, ne alterum alterius ad se vires traducat, in actione sua exercenda coërceant. Quare ita alternant, ut eodem tempore alia moveantur, quiescant alia. Ut exemplum ponamus, alio tempore vita vegetativa in actione est, alio animalis.



Nam interdiu quidem alacris et ad agendum promptus est animus, vespere et noctu organa moventur vegetativa. Quare quum alicujus pars organi aegrotat, consentaneum est morbum eo potissimum tempore augeri, quo partis affectae actio sit maxima, vegetativae igitur functionis morbos meridie et vespere exacerbari.

Rhythmica organorum actio suique conservandi studium quum illis a natura sit insitum, tum vero auge-  
tur eo, quod organa singula communi quodam societatis vinculo cum universa rerum natura sunt conjuncta, cu-  
jus mutationes periodicas, quae quidem maximam in cor-  
pora vim exercent, jam paucis perlustrare haud videtur alienum. Et primum quidem quae sit lunae in cor-  
pora humana vis exponendum est. Jam antiquitus ho-  
mines naturae studiosi sibi persuaserant ultimam caele-  
stium corporum lunam, quum tanta ferretur humilitate,  
ut terram paene contingere videretur, magnam in terre-  
stria corpora vim exercere. Quae opinio quum olim  
tam prope abesset ab superstitione, ut Chaldaei, ortus  
nascentium moderari lunam rati, sidera notarent natali-  
tia (Cicero de divin. II. 43), medio autem aevo ita esset  
pervulgata, ut tangi omnia luna quasi quodam divino  
numine medici et philosophi plerique omnes arbitraren-  
tur, recentioribus demum temporibus impugnata et in  
controversiam vocata est, judicio non magis probando  
lunae in tellurem ejusque corpora vim aut nullam esse,  
aut si qua sit, certe minimam. Ita qui sentiunt, ab iis  
dissentendum esse inde maxime apparet, quia ea est



olaris, quod dicunt, systematis ratio, ut quae illo comprehenduntur corpora, ea mutua quadam inter se conneri actione necesse sit. Quae quidem lunae in terram is quoniam est aliis temporibus alia, humani organismi rhythmum magna ex parte ab illa pendere jure mihi videor statuere. In universum autem lunae tactus is est, ut quo undam organicorum systematum actionem excitet et augeat, unde consequitur, ut, si quod organon luna, tactum aegrotet, morbus ipse, quia excitat luna vim vitalem, exacerbetur, idem vero deminuat illa per lunam oppressa.

Eo lunae tactu quum rhythmus menstrualis, typus tertianus et quartanus explicandi sint, tum febres pendunt e lunari, quae dicitur, hebdomade, quae septem comprehendens dies, si in partes singulas dividitur, typum tertianum et quartanum efficit.

Jam solis, in immenso coelo tam longe lateque collucentis, tantam in corpora esse vim, ut sine illius luce constare ac vigere universa terra nequeat, una et consentiens vox est omnium virorum intelligentium. Quum autem sol quotidiana terrae conversione vim suam quam rhythmica actione demittat, interdiu coeli temperatione aërisque siccitate (electricitate) aucta, oxygenii, ut dicitur, aëris polus vim majorem in terram exercet. Nam vero interdiu quo magis solis luce aër siccatur, eo majorem in animantibus actionem excitari nervorumque sensus augeri consentaneum est: nocte contra, quum lucis defectione nervorum vita deprimatur, vis productiva



et assimilativa in organis animantium augetur. Quemadmodum autem sanorum corporum actiones rhythmicè so-  
dirigit, ita etiam majorem in morbos, quibus affectum  
se ipsa servare student, ad agendum alacriora sunt  
corpora, vim exercet. Efficitur quidem solis tactu typus  
quotidianus et annuus, quorum ille in omnibus febribus  
iisque, qui cum febre conjuncti sunt, morbis conspicitur  
hic in quibusdam chronicis morbis, uti supra demonstra-  
vimus, observatur. Haec de lunae et solis in corpora  
humana vi exponere placuit. Immensus autem mundus  
quoniam innumerabili coelestium corporum copia distin-  
ctus est, quorum ipsorum in terram vis ex eo appare-  
t, quod vario illorum ad terram accessu aut recessu aëris  
temperatio modo augetur, modo deminuitur: haud temere  
conjicimus rhythmicam in corpore animali actionem magnam  
ex parte a mutationibus vi planetarum in terra factis  
esse repetendam. Satis habeo in re difficili et supra hu-  
manam sollertiam obscura illum commemorasse montium  
evaporantium fumosum halitum, quem ut exploratum esse  
planetarum vi suscitatum sublime ferri, ita haud dubium  
videtur, quin multae ex rhythmica planetarum actione  
haud scio an noxae in terra oriantur mutationes.

Alia rhythmici causa in ipsis inest organis aegrotis. Abdo-  
minis morbi praeter rhythmum quotidianum, qui pendet a so-  
lis vi, etiam tertianum habent et quartanum lunae tactu excita-  
tos; contra in pectoris et capitis organa sol maximam exertit  
vim, luna nullam. Ita fit, ut pneumonia, encephalitis,  
carditis, ophthalmia, quotidie vespertino tempore ex-



erbentur, remittant matutino, hepatitis contra praeter  
 typum quotidianum eadem tertianum habeat. Jam omnes  
 nervorum morbi, sive cerebrale, sive gangliorum systema  
 afficiunt, typum observant intermittentem, quae quidem  
 intermissio tam est perspicua et distincta, ut sit omnium  
 nervorum affectionum signum pathognomonicum.  
 Sequi autem morbos ejus functionis rhythmum, cujus  
 valetudo perturbata sit, plurimis comprobatur vegetatio-  
 nis et nervi sympathici morbis, velut epilepsia abdo-  
 minis, helminthiasi, diarrhoea, dysenteria fe-  
 bri intermittente, scrophulis, id genus aliis, qui  
 habent typum triplicem, quotidianum, menstrualementem, et  
 intermittentem. Vasculosi autem systematis morbi  
 typum habent quotidianum, menstrualementem, continentem,  
 idemque tempore matutino et vespertino ingravescent;  
 mucosarum morbi membranarum typum observant  
 quotidianum et remittentem, matutino tempore, quo maxima  
 est illarum membranarum actio, ingravescentes. Porro  
 digestionis morborum typus quotidianus est, idem  
 saepe duodecim horarum; exacerbantur meridie et ve-  
 pere. Jam ex animi morbis eorum qui a systemate  
 ganglioso pendent, nocturno saepe tempore symptomata  
 augentur, aestivo et meridie impetus maniae et, quia  
 tum maxima respirationis actio est, etiam pneumoniae.

Haud raro typi causam in ipso morbi gradu in-  
 esse ex remittente et intermittente typo cognosci-  
 tur. Et morbus quidem ipse, quo aliquid in organis mu-  
 atur, quum nec intermissionis tempore decedat, nec cum



alio impetu accedat alius, intermittere recte dici non potest; sed minuitur tantum ejus vehementia, ita ut perspicue dilucide symptomata nequeant. Itaque quum morbi, qui dicuntur intermittentes, re vera remittentes sint, hi, quum decedere volunt, illorum formam induunt, illi, quum crescunt, transeunt in remittentes.

Denique morborum typus saepe genio efficitur epidemio. Vere enim et auctumno, quibus anni temporibus febres ingruere solent intermittentes, harum constitutio tantam in morbos alios vim exhibet, ut hi ipsi typum accipiant intermittentem. Ut exemplum afferam, pneumonia interdum typum intermittentem quotidianum aut tertianum habet, ita ut difficile sit ad dijudicandum sitne feбри intermittenti pneumonia adjuncta, an huic typus intermittens. Ipse, quum Schoenleinii frequentarem clinicum, encephalitiden observavi, cujus typus tertianus diminuta inflammatione decessit.

Haec fere habui, quae hac de re hoc tempore scriberem; quae si probentur idoneis earum rerum arbitris uberrimum operae in hoc argumentum collatae fructum percipiam; sin rejiciantur tamquam juvenilia et parum explorata, in re tam difficili et obscura et voluisse sat est. —

---



## V I T A.

---

Henricus Ottomarus Wagner anno hujus  
seculi XXI. die III. mensis Martis Oberbili natus sum  
patre Conrado, principis de Solms-Braunfels a consi-  
s scholasticis, et ecclesiasticis, matre Carolotta e  
gente Dressler, quibus Dei optimi maximi gratia huc-  
sque vivis et integris laetor. Primis literarum elemen-  
s a patre imbutus, gymnasium Wetzlariense per annos  
cto frequentavi, quod tunc Directore Herbst florebat.  
einde a. MDCCCXL. maturitatis testimonio instructus,  
niversitatem Marburgensem petii et his interfui scholis:  
I. Bünger de osteologia; III. Wenderoth de bota-  
ce; III. Bunsen de chemia anorganica. Postea in  
stitutum regium medico - chirurgicum Friderico - Gui-  
lmianum receptus, hisce interfui praelectionibus:

Cel. Beneke de logice et psychologia; Cel. Turte  
e physice; III. E. Mitscherlich de chemia anorga-  
ica; Cel. Preuss de historia; III. Schlemm de osteo-



logia, splachnologia et syndesmologia; Ill. Mueller de anatome universa, pathologica et comparata, nec non de physiologia.

Medicas hasce scholas frequentavi: Cel. Mitscherlich de materia medica; Ill. Horn de morbis syphiliticis et psychicis; Ill. Casper de formulis medicis et medicina forensi; Ill. Schoenlein de pathologia et therapia speciali; Ill. Hecker de encyclopaedia medica, de pathologia generali et historia medicinae; Cel. Kluge de desmologia, de ossibus fractis et luxatis, de chirurgia generali, de arte obstetricia; Ill. Juengken de chirurgia; Ill. Wagner de politia medica.

Duces mihi fuere in arte cadavera secandi Ill. Müller et Ill. Schlemm; in operationibus chirurgicis Ill. Schlemm; in exercitationibus clinicis viri Illustrissimi et Celeberrimi Wolff, Schoenlein, Dieffenbach, Juengken, Kluge, Romberg.

Quibus omnibus viris, optime de me meritis, quas possum maximas ago semperque habebo gratias.

Jam vero tentaminibus, tam philosophico quam medico, atque examine rigoroso coram Gratioso Medicorum ordine rite superatis, spero fore, ut, dissertatione de rhythmō nervorum thesibusque publice defensis, summi in medicina et chirurgia in me conferantur honores.

---



## T H E S E S.

---

Doloris sedes non est semper sedes morbi.

Albumen in urina repertum non est signum pathognomonicum morbi Brightii.

Impetigines non semper sanare licet.

Pneumoniae signum pathognomonicum tussim esse nego.

Phthisis pulmonum sanari potest.

Medico saepe licet mentiri.


Quo plura sunt remedia, eo minus morbi natura est perspicua.

---











NARROW GUTTERS

(1-2 CHARACTERS

LOST ON

SEVERAL PAGES)